יהוה

Iouas. In Hebraeo יְהֹוָה (Iehoua): quod appellant nomen Dei τετραγράμματον, ἄῤῥητον, et ἀνεκφώνητον (his enim tribus nominibus utitur Hieronymus) i. quadrilitterum, ineffabile, et non pronuntiandum. Nam enim quae quatuor his subiecta literis puncta videmus, ea sunt illarum: sed alterius vocis, (Adonaï) i. Dominus. Nam (hateph pathah), non est quidem sub Iod, ut sub aleph: verum hoc fit, quia aleph gutturalis est litera: cui ob id schva solum non supponitur, sed una accepit pathah. Iod autem non est gutturalis: propterea solo schva contenta est. Punctum autem holem supra he, ipsum est quod superponitur, daleth: et cametz, sub vau, supponitur nun. Ergo puncta quatuor illis mutuo data sunt literis: ut eas Iudaei per nomen adonaï pronuntiarent. Sed quod etiam clarissimum de pronuntiatione eorum est, quando ante Iehouah, ponitur nomen Adonaï ad hunc modum, Adonaï Iehoua. Tunc enim non pronuntiant Iehouah per Adonaï, sed per elohim, Deus. cuius vocis punctis ipsas quatuor afficiunt literas iuxta hanc formam, Iehouih, ut Ezech. 21.7. Hanc quatuor literarum per adonai pronuntiationem iudaicam fuisse aetatis Hieronymi in usu, satis eius versio confirmat, Exod. 6, 3. Nam quum alibi Iehouah, quemadmodum Graeci in, κύριος, ipse in, Dominus, convertat: eo tamen Exodi loco reddit, adonaï. Et nomen meum adonaï, inquit, non indicaui eis. quod ipsum tamen vertit Isa. 42, 8, Ego Dominus, Hoc est nomen meum. Ierem. 16, 21. Nomen mihi Dominus, et Hos. 12. 5. Dominus memoriale eius. Et rursus in in 16, caput Ezechielis, Quando, ait, duo Domini, et Domini, iuncta sunt nomina, prius nomen commune est: secundum, proprie Dei, quod appellatur ἄῤῥητον, id est, ineffabile, et quod scriptum fuit in lamina aurea quae erat in fronte pontificis Domini et Domini vel potius, Domini Dei, est